

sentem durante actione; item est talis res cui necessario respondet aliquid pro termino ad quem et pro subiecto in quo ²⁹⁰. Quaedam autem sunt perfectiones quae licet non habeant esse vere ²⁹¹ in fieri sed in facto esse, totae simul semper tamen ²⁹² dependent a praesentia agentis in suo esse. Item ad illud ²⁹³ agens sic se habent ²⁹⁴ quod propter essentialem dependentiam quam habent ad illud, illud respiciunt ut terminum ad quem; quod et facit vera actio licet non ut ²⁹⁵ subiectum in quo; cuiusmodi sunt perfectiones potentialium animae tam apprehensivarum quam appetitivarum. Ideo licet non ²⁹⁶ habent esse in subiecto, non sint vere actiones, immo potius passioness, tamen propter istas condiciones dicuntur quaedam operationes vel actiones quae realiter vere passioness sunt et tamen denominant subiectum in quo sunt per modum actionis propter huiusmodi habitudinem ad obiectum ut ad terminum; et e converso, licet tales perfectiones non sint in obiecto tanquam verae passioness, quia tamen ipsum respiciunt ut verum terminum quod convenit ²⁹⁷ verae passioni, ideo licet respectu obiecti tales perfectiones sint verae actiones, significantur tamen per modum passionis; et sic obiectum tanquam passivum denominant. Sicut enim percussus respicit percussum ut terminum et etiam ut subiectum percussus, ideo dicitur esse actio in quantum respicit aliud ut terminum ad quem; et dicitur transiens extra in quantum respicit illud ut subiectum in quo. Ita etiam videns respicit per se obiectum ut terminum, et ²⁹⁸ ideo videre dicitur actio. Sed quia illud non respicit ut subiectum, sed eius subiectum est illud quod sub ratione agentis ²⁹⁹ denominat ³⁰⁰, ideo dicitur manens in agente, id est in eo quod per modum agentis [Cod. P, fol. 308 R^b] denominatur, licet non sit vere agens. Et quia haec aliis perfectionibus non conveniunt, ideo nec de ipsis talia debent dici.

Praeterea si solum vere ³⁰¹ dicitur actio ³⁰² exitus alicuius entis de potentia ad actum — nam cum forma est sub esse potenciali nude ³⁰³ antequam excitetur ³⁰⁴ ab agente efficienter, non dicitur vere actio — similiter ³⁰⁵ etiam cum est reducta ad actum completum non est vere actio: quaero, cum ignis in potentia factus est in actu ignis, utrum adhuc sit ibi aliqua ³⁰⁶ actio secundum ea quae ad transmutationem substantiae pertinent? Si sic ³⁰⁷, erit processus in infinitum.

Item cum illud quod erat ignis in potentia etiam esset aliquid calidum in potentia et cum ³⁰⁸ est ³⁰⁹ factus ignis in actu, factum est etiam calidum in actu: quaero utrum adhuc sit in igne aliqua ³¹⁰ actio secundum caliditatem quae sit aliud quam ipsa caliditas? Si sic, praecedit potentiale secundum quod fit ³¹¹ talis actio et est id ipsum quod caliditas ³¹² aut aliquid aliud, non caliditas; quia est iam in actu. Si aliud, iterum quaero si illa ³¹³ potentialitate reducta ³¹⁴ in actum sit ibi adhuc alia actio [Cod. R, fol. 215 V^b]; et sic in infinitum.

Inconveniens est ergo ponere quod in illo quod est reductum de potentia

aliqua ³¹⁵ in actum sive substantialem sive accidentalem sit aliqua ³¹⁶ alia actio consequens manens in agente, sed [Cod. Q, fol. 168 R^b] per suam actualitatem actionem efficere potest in aliud. Et secundum hoc, cum potentia calidum est factum calidum, non potest dici quod calere dicat in ipso aliqua ³¹⁷ actionem quae sit realiter aliud quam caliditas vel esse calidum.

Nec praedictis repugnat quod dicit **Simplicius**, *Super Praedicamenta*, capitulo: De Actione, dicens quod, licet facere ³¹⁸ et pati in generali ad invicem dicantur et referantur et ³¹⁹ non sint quaedam absoluta, non omnia tamen ³²⁰ quae sub istis continentur [Cod. V, fol. 214 R^b] dicuntur ad invicem relative. Universaliter enim de omni agente facere ³²¹ dicitur. Non omnis actio autem ad ³²² patiens dicitur. Neque enim absolutae actiones, ut currere, ambulare, dicere, legere ad aliquid sunt, quamvis sint ³²³ facere. Quamvis ³²⁴ enim patiatur aliquid passivum ab ambulante, non tamen secundum hoc dicitur ipsum ambulare facere, sed secundum talem motum.

Ex istis enim quidam, licet ³²⁵ male, nituntur ostendere quod est aliqua ³²⁶ vera actio et est ab aliquo quod habet rationem vere agentis et tamen non respondet ei aliquod passivum ³²⁷, nec est in aliquo ut in passo (22). Ex quo enim aliquid quod est ab agente de necessitate est actio quaedam absoluta quidem, quod patet ex modo significandi quo exprimitur; et cum non significetur ut in alio vel ut ad aliud, non est aliquid quod sit in aliquo ut ³²⁸ in passo. Et secundum hoc ³²⁹ licet ³³⁰ id quod talis actio est, realiter sit in ipso agente, quia tamen non est in illo ut in passo, dicitur quod idem ³³¹ agit a se actionem in ipso manentem. Nec tamen idem agit ³³² in se ipsum nec idem erit activum et passivum; quia talis actio habet activum ³³³ a quo est, sed ³³⁴ non ³³⁵ habet passivum in quo sit.

Sed istud non est bene dictum. Nec est dictum secundum intentionem **Simplicii**. Non est enim ³³⁶ intentio eius quod sit ³³⁷ res aliqua ³³⁸ quae est actio vera et realis sic quod dicit aliquem actum ad quem subiectum aliquod est eductum de potentia ad actum quin tali rei quae actio ³³⁹ dicitur sit assignare et verum activum et verum passivum realiter et ³⁴⁰ subiecto ad ³⁴¹ invicem differentia et distincta. Non enim ponit extra nisi de talibus secundum quae subiectum ens in potentia ad illa reducit ad ³⁴² actum secundum ipsa. Sed nec **Simplicius** nec isti supponunt quod id quod est realiter in potentia ad aliquem actum, reducat ³⁴³ se ad illum per se ipsum solum absque alio vere ³⁴⁴ agente efficienter vel saltem excitative; propter quod nec debet ³⁴⁵ poni aliquid quod sit vere actio absoluta respectu agentis sive ut est ab agente quin illa realiter [Cod. P, fol. 308 V^b] sit passio vere ut est in aliquo alio ab agente efficienter. Ergo talibus debet ³⁴⁶ vere tribui activum et passivum realiter differentia. Unde ipse ibi dicit quod ipsum ambulare dicitur quoddam facere secundum talem motum, id est: est vere actio; quia est realiter id quod est talis motus, scilicet progressivus,

qui vere est actio et etiam ³⁴⁷ passio et ³⁴⁸ cui respondent praedicta, scilicet activum et passivum, distincta quae docet **Philosophus** (23) libro *De Motibus Animalium*.

Et similiter est intelligendum de quibuscumque aliis quae dicuntur actiones verae quantumcumque absolutae. Quia **Simplicius** ³⁴⁹ non dicit eas esse absolutas res quantum ad id quod sunt realiter. Constat enim quod ambu [Cod. R, fol. 216 R^a] latio secundum quod est realiter talis motus progressivus respicit et illud a quo agitur et in quo agitur. Sed prout talis res significatur per verbum sic absolutum et etiam aliquo modo ab intellectu apprehenditur absque actuali comparatione ad aliquid sub ratione passivi, ideo dicitur actio absoluta.

Item quia illud quod in tali motu, qui vere est actio et passio, habet rationem activi et passivi, licet differant subiecto; quia tamen sunt partes unius animalis propter quod talis actio, quae etiam est passio, manet in agente, quia animal ³⁵⁰ est et agens et patiens ³⁵¹ motum talem licet secundum aliud et aliud, et sic talis actio non respicit secundum modum significandi aliquid ut passum ³⁵² vel ³⁵³ terminum; quia etiam non [Cod. Q, fol. 168 V^a] respicit aliquid extra animal etiam ut passum ³⁵⁴, sicut dicit **Simplicius** de pavimento — propter hoc ³⁵⁵ **Simplicius** talia dicit ³⁵⁶ esse actiones absolutas; — est ergo dicendum quod nulla actio est sic secundum rem absoluta quin ei respondeat vere passivum in quo sit subiective differens ab eo quod est vere activum; et quin secundum id quod est realiter et secundum quod induit etiam nomen commune sub quo ³⁵⁷ continetur, importet respectum ad patiens et includat veram passionem, sicut [Cod. V, fol. 214 V^a] patet ³⁵⁸ de ambulatione; quae licet ³⁵⁹ ut [Cod. P, fol. 309 R^a] tali verbo speciali significatur ³⁶⁰, non dicat respectum ad patiens, id tamen quod est realiter habet respectum ad ³⁶¹ illud; et etiam ambulatio ipsa cum hac reduplicatione: ambulatio in quantum motus progressivus. Similiter etiam in aliis. Nam si legere et dicere accipiuntur pro quibusdam actibus corporalibus qui consistunt in formatione et expressione vocis sensibilis, sunt etiam quidam motus reales continentes et tractum et pulsum vel compositi ex illis. Et similiter est intelligendum circa alia, scilicet talia ³⁶² quae in movere et moveri consistunt.

Item, sicut supra tactum est, dicere quod aliquid quod est vere actio sit ³⁶³ in agente, et tamen idem non agit in se ipsum nec habet rationem activi et passivi respectu eiusdem, implicat contradictionem. Oportet enim quod sicut dicitur esse actio, quia est ab illo, ita dicatur passio quia est in alio; et cetera.

Sic ³⁶⁴ ergo supponendum est quod substantia non est principium activum nec mediatum nec immediatum alicuius operationis vel perfectionis quae sit ³⁶⁵ in ipsa, sed bene est principium passivum immediatum respectu alicuius suae prioris perfectionis et mediatum respectu posterioris. Nam

materia est immediatum principium passivum et susceptivum respectu cuiuscumque ³⁶⁶ formae substantialis, quia ante formam substantialem, cum ipsa sit primum in genere actuum, non potest praeintelligi in materia aliquid aliud ab ipsa materia quae etiam est pura potentia per quod ipsa ad aliquam formam determinetur in esse subiectum cuiuscumque formae sive ut forma quacumque informetur, licet in esse subiectum transmutationis ad aliquam formam determinatam bene determinetur per aliquam aliam formam et per determinatas dispositiones, prout dicitur quod non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato et quod numerus potentialium in materia est secundum numerum formarum substantialium sive specierum. Sed substantia creata existens in actu per formam aliquam substantialem determinat sibi quaedam accidentia et quasdam proprietates ³⁶⁷ quodam ordine naturae et me- [Cod. R, fol. 216 R^b] mediantibus [Cod. P, fol. 309 R^b] quibusdam est susceptiva aliorum. Et cum aliqua substantia est in potentia ad aliquas perfectiones circa ipsam variabiles et successibiles vel secundum ³⁶⁸ oppositionem contrarietatis vel secundum oppositionem habitus et ³⁶⁹ privationis, nullam autem talium specialiter ³⁷⁰ sibi determinat, oportet quod praeintelligatur determinata secundum aliquam aliam dispositionem vel proprietatem; sicut corpus mixtum quod est in potentia ad contrarios colores oportet esse superficiatum ad hoc quod illos suscipiat; et corpus quod est in potentia ad lucem et tenebram oportet esse determinatum per diaphaneitatem ³⁷¹. Et similiter animam, quae est in potentia ad videre et non videre, et ad videre hoc et ³⁷² aliud et similiter de aliis actibus eius, oportet esse determinatam per aliquam proprietatem vel dispositionem invariabilem quam aliquam determinatam potentiam dicimus.

Loquendo autem de operatione transeunte extra de qua quaestio principaliter proponitur, cum sint duo genera agentium, scilicet ars et natura, — rationalia ³⁷³ autem ³⁷⁴ sive intellectualia modo artis agere dicuntur, alia autem ³⁷⁵ modo naturae, — dicendum est [Cod. Q, fol. 168 V^b] quod substantia quae agit naturaliter, de necessitate agit per aliquam potentiam ipsi ³⁷⁶ substantiae additam, videlicet per aliquas qualitates activas et passivas quae non sunt agentia principalia, sed ³⁷⁷ instrumenta et rationes agendi. Nunquam enim potest agens transmutare materiam ad formam nisi per huiusmodi qualitates activas et passivas, quia actio naturalis requirit contrarietatem in activo et passivo, quae proprie non est secundum formas substantiales; ideo forma substantialis immediate non agit.

Cum etiam rationalia et intellectualia agant per modum artis, ad quod necessario requiritur actus intellectus qui non sufficit nisi adsit etiam actus voluntatis; quia illud quod est ex parte intellectus est indifferens ad agendum contraria et aequae ageret illa nisi adsit quaedam determinatio ex appetitu alicuius ³⁷⁸ [Cod. P, fol. 309 V^a] finis, prout [Cod. V, fol. 214 V^b]

docet **Philosophus** (24) nono *Metaphysicae*; ideo cum in omni creatura tam rationali quam intellectuali actio transiens extra procedit ab actione existente intra, puta: ab actu intellectus et voluntatis; nunc autem et actus isti et potentiae determinatae quarum sunt actus dicunt aliquid additum substantiae animae vel angeli, ideo dicendum quod non agit aliquam talem operationem nec homo nec angelus per suam substantiam immediate.

Sed utrum in angelis ad causandum huiusmodi operationem sufficiant intellectus et voluntas vel oporteat ibi ponere aliquam tertiam virtutem, quae virtus motiva dicatur, de hoc alias (25) tetigi duas opiniones. Videretur tamen quod, nisi obstaret quidam articulus (26) a Parisiensi Episcopo condemnatus ³⁷⁹, posset dici quod ad causandum motum localem sufficit intellectus et voluntas in angelis; quia secundum intentionem **Philosophi** (27) in tertio *De Anima*, ad causandum motum progressivum in homine vel in animali non sunt necessaria nisi duo principia per se agentia, licet sint alia instrumentaliter facientia et cooperantia ad motum; quia expresse post ³⁸⁰ multam circa hoc inquisitionem et ostensionem quod solus intellectus vel sola phantasia non est sufficiens principium talis motus [Cod. R, fol. 216 V^a], item nec etiam voluntas vel appetitus, concludit quod utrumque simul est sufficiens principium quorum est unum principium extrinsecum ³⁸¹, scilicet appetibile apprehensum quod movet et non movetur. Unde desiderium secundum quod includit et actum intellectus vel phantasiae et actum appetitus vel voluntatis est principium per se causativum motus localis progressivi. Sed verum est quod ad illius executionem requiruntur instrumentaliter plura alia; quia sicut **Philosophus** (28) docet ³⁸² in libro *De Causa motus animalium*, res apprehensae et appetitae mediantibus huiusmodi apprehensio- [Cod. P, fol. 309 V^b] ne et appetitu quae habent quandam vim ab ipsis rebus obiectis a quibus causantur, nata sunt causare quasdam transmutationes in organis corporalibus secundum qualitates sensibiles, ita quod organa corporalia post huiusmodi apprehensionem et appetitum transmutantur secundum caliditatem et frigiditatem; et ex hoc causatur bene motus quidam localis et dilatationis et constrictionis et impulsus ³⁸³ quidam ab una parte in aliquam ³⁸⁴ aliam partem. Ergo videtur quod in angelis sufficient etiam intellectus et voluntas ad movendum localiter aliquod corpus suae virtuti proportionatum. Et potest exponi dictus articulus (29) sicut alibi (30) est expōsitus.

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod, licet actus intellectus et voluntatis sint intus manentes, sic scilicet quod sunt subiective in ³⁸⁵ intellectu et voluntate, non autem in corpore extra, hoc tamen non impedit quia possint ³⁸⁶ esse principium causativum actus exterioris. Illud enim per quod aliquid est principium alicuius effectus extrinseci, non oportet quod sit extra agentem; immo principale principium debet esse in ipso,

licet illud per quod instrumentaliter agit sit aliquid extrinsecum ³⁸⁷ ubi sunt necessaria instrumenta praecipue separata.

Argumentum quod ad aliam partem inducitur non valet; quia falsum supponit [Cod. Q, fol. 169 R^a], scilicet quod esse sit aliquid differens a substantia rei. Nec videtur unde accipiatur tam commune dictum quod esse et essentia relaliter differant nisi ex hoc quod illud quod significatur ³⁸⁸ nomine essentiae in abstracto ³⁸⁹, significatur per modum entis existentis in quiete et per modum permanentis et fixi et quasi per modum habitus; illud vero quod significatur per esse significatur per modum entis existentis in fluxu et fieri et ³⁹⁰ per modum actus quasi continue exerciti, sicut [Cod. P, fol. 310 R^a] etiam contingit in terminis specialibus. Nam sic videntur se habere ad invicem calor et calere, et lux et lucere, albedo et albere; intelligentia, non ut nominat potentiam animae sed actum, et ipsum intelligere; sapientia etiam, non [Cod. V, fol. 215 R^a] prout dicit habitum sed actum, et sapere; et sic de aliis ubi sunt imposita nomina et verba ad significandum unum et idem secundum rem sub alia et alia ratione et sub alio et alio modo significandi illud experimentia.

Unde si ita est in terminis specialibus quod per eos sic diversa realiter significantur, ita etiam erit et in terminis generalibus. Et si hoc non conceditur in specialibus, nec etiam in generalibus est concedendum.

Hoc patet sic: quia constat quod isti termini generales: ens, essentia et esse, non sunt termini univoci; nec respondet eis aliquid unum pro significato; nec ³⁹¹ unum quidem secundum rem; nec unum etiam secundum conceptum; quia non sunt nomina generum nec etiam specierum, sed sunt termini ³⁹² aequivoci non plura significantia [Cod. R, fol. 216 V^b] casu quae nullam habent ³⁹³ attributionem ad invicem; et ideo dicuntur analogi. Unde istis nominibus non respondet aliquod unum significatum in communi; sed unumquodque ens speciale est significatum per se per illa. Unde per hoc nomen ens in concreto et per modum subsistentis ³⁹⁴ non significatur nisi Deus, homo, equus, album, nigrum, et cetera. Et per hoc nomen essentia per modum formae et abstracti significatur deitas, humanitas, equinitas, lux, albedo; et sic de aliis. Ergo similiter per esse per modum fluxus et fieri significatur lucere, calere; et sic de aliis.

Non poterit ergo poni quod ista, ut per terminos generales significantur, dicant res diversas nisi illa quae eis respondent in terminis specialibus et quae per illos significantur etiam realiter differant ³⁹⁵, cum nullam aliam realitatem importent. Sicut ergo se habet esse ad essentiam in generali, ita se habet lux [Cod. P, fol. 310 R^b] ad lucem in speciali, ut si esse et essentia in generali ³⁹⁶ dicunt diversas res, similiter ³⁹⁷ differunt in luce. Et ³⁹⁸ sicut essentia exprimitur per nomen lucis, ita etiam esse exprimitur per hoc verbum lucere. Quod enim dicatur quod esse lucis non possit exprimi per terminum specialem sicut ipsa essentia eius ³⁹⁹, dicitur contra rationem.

Les Philosophes Belges

Textes et Etudes

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain
sous la direction de Maurice De Wulf

TOME V, FASCICULES I-II


Les Quodlibets onze-quatorze DE GODEFROID DE FONTAINES

(TEXTE INÉDIT)

PAR

J. HOFFMANS

DOCTEUR EN PHILOSOPHIE
PROFESSEUR A L'UNIVERSITÉ COLONIALE



LOUVAIN

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE
2, PLACE CARDINAL MERCIER, 2

1932